

Copy

COLLEGIO CANTUARIENSI UNIVERSITAS COLLEGII MCGILL SALUTEM
REDDIT PLURIMAM

LITTERAE quibus consilium sacrorum semi-saecularium celebrandorum
Collegii vestri denuntiavistis et maxima cum comitate nos rogavistis
ut aliquem delegaremus qui illo tempore auspicatissimo partes ageret
nostras, magno gaudio acceptae sunt. Ac primum vobis gratulamur
quod a vestro collegio condito vobis miro modo successit et
praesertim quod per gestas res vestras exstitit sine dubio auctus
incrementumque eximium educationis Australasianae. Vinculum
autem inter nos non modo est illud quod omnia instituta scholastica
liget sed ille artior nexus qui iungit inter se Collegia Dominionum
Britannicarum, quae seu in Australasia sita seu in Africa Meridiana
seu in Canada omnia pro sua quodque parte nituntur augere quocumque
Imperium Britannicum ad litteras et scientiam et artes promovendas
praestare possit. Nobis dolet quod propter immensa spatia maris
inter nos interiecta non possumus mittere unum ex ordine nostro
professorum qui vobis salutem diceret. Sed tamen, ut vos ipsi in
litteris admonuistis, nominavimus legatum
alumnū Universitatis nostrae nunc domicilium in Nova Terramarina
habentem, qui nostro nomine vos iubeat plurimum salvere.

Dabamus

Universitate Collegii McGill

a.d. IX Kal.Nov.

A.D. MCMXXII

Praeses

Tabularius